PRIVILEGIUM
Fortunæ Sarmaticæ,
Cancellario Regni, & Pontificio Annulo;
Illustrissimi Excellentissimi Reverendissimi
DOMINI
D. JOANNIS
COMITIS à Lipie
LIPSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI Lucèoriensis
& Brestensis;
PROCANCELLARII Regni.
ABBATIS Claræ Tumbæ, Generalis Miechoviensis,
& Collegiatæ Chocensis PRÆPOSITI &c. &c.
SIGNATUM.
Sub prima Consecrationis suæ Solennia,
Ad publica Septemtrionis Solatia,
EXHIBITUM.
Ministerio pennæ Panegyricæ,
Collegij Varsaviensis Scholarum Piarum,
Ad Acta Immortalitatis
PORRECTUM.
ANNO à QUO
Privilegium felicitatis humanæ signavit Cœlum MDCCXXXII.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. & Reipublicæ Scholarum Piarum.

In Avita Decora
ILLUSTRISSIMÆ GENTIS
LIPSCIANÆ.



Raſtra dabant faſces Latio,meſſemq; Triumphi,
Et Lechico florent climate, laude pari.
Jam lauros pacis, jam collegêre trophæa,
Talia Sarmatici Martis arena probat.
Sit proin altus honor *Raſtris, pro culmine terno,*
Auſonio triplex colle Corona veni.

ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES.

Æcumenica universæ Poloniæ solatia, quibus ad fortunatam Inaugurationem Tuam, ex indulgentia Cœlorum cumulatur, literario applausu, & Panegyricis acclamationibus, Calasantinæ Musæ proseqvuntur. Neq; est, qui in publicæ partem lætitiæ non veniat; quando Religionis Atlas, Jovis Sarmatici Mercurius, Senatûs Patrij Grandis Anima, Legum Vindex, Libertatis Assertor, Pontificium assumis Scipionem, quo felicitatem Lechiæ sustentes & erigas. Decu-

 mana

mana porro ſors eſt Luceorienſis Inſulæ, Tuum ambire verticem, qui ut coronarum gemma es, ita olim vota populorum coronabis, poſtquam extra Arctoum clima glorioſo meritorum tractu conniſus, in orbis capite eminebis. Illas jam Tibi voto augure ſignat Appias candor noſter, hanc purpuratorum metam aſcenſuum, præfigit Virtus maxima, cui eminentiſſimus lunari debebit Honor. Faveant tantummodo juſtiſſimis Aſtra Votis, ut Gentilitijs Raſtris, *eòuſq; cum fructu annorum Pylio, meſſem faſcium colligas, donec ad Epiſcopales Violas, Roſas addideris Vaticanas; Illudq; Fortunæ Sarmaticæ Privilegium quod hodie gemino, Præſul, & Cancellarius Signaſti Adamante, temerare non auſint fata, videlicet, Te nobis relinquant immortalem, quo in ævũ ſoſpite, Septemtrionis Lechici felicitas perennabit; hoc votivâ apprecatione, & vectigali pennâ ſubſcribit.*

JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO
Nomini Tuo

Devinctiſſimum
Collegium Varſavienſe
Scholarum Piarum.

PANEGYRICUS.

REstituis parentalibus hactenùs squallenti mæroribus, totum cum auge decorem & lucem *Luceoriæ*, sub prima muneris Præsulei auspicia, ubi vix consolabili super *Rupniewsciana Flumina* dolentem luctu Diœcesim, in nova probante Cœlo, gestiente Aventino, erigis solatia ANTISTES OPTATISSIME. Ita vix primum in arena Pastoralis Officij secundissimè movisti gressum, jam præeuntem, hinc acclamationes votivæ, hinc prosperitatum omina, comitatu Soli invidendo associant. Fortunata ad *Luceorien-*

ſem Mitram Inauguratio Tua, publicæ felicitatis claſſicum eſt, quo aureum rursùs ſæculum, ad commune populorum emolumentum revocabis. Quidni immortalem Te Auſpice fortunam ſuam ambigat Sarmatia? cujus firmitudini, *Signatoriæ* pondus Gemmæ adjeciſti. Adeoq; primo in limine Infulatæ Dignitatis poſitus, æcumenicæ Polonorum felicitati pandis januam, per quam, ad Aras Religio, ad Areopagos Æquitas, ad Caſtra Fortitudo, ad Comitia Libertas, ad Regiam Majeſtas, decumanis feſtinent paſſibus.

Quæ non in publicum Auguria, deſtinatæ Inaugurationi Tuæ, Calendæ ſignant! certè diem hanc, feſtâ in ævum celebritate recolet Sarmatia, quæ Te Infulatis admovit Patribus, fortunatum Conſecrationis Tuæ Inſtans,

Satur-

Saturnii gloriam occupabit sæculi; Ipse dexter mundi oculus Sol, Olympicos Agones, Imperatorum triumphos spectare haud avebit, postquam Tui, ad Tyaratorum conclave Numinum Ingressûs pompam, fixiore hodie lustravit palpebra. Dimanabit prono Vandali Sarmatici ostio, svavissima hodierni actûs recordatio, ad Ænotrium Albulam, Æquor Trinacrium, Alemannum Visurgim, Henetum Adriam, Iberum Bætim, coronatas LIPSCIANIS encomijs classes, ultra Oceani fines provehendo.

Procede intereà secundis Alitibus PRÆSUL JLLUSTRISSIME, quo Te vota Poloniæ, quo triumphalia Avorum ducunt vestigia, illudq; felicitati Patriæ rursùs Jubilæum aperi, quod olim in capite evoluti sæculi, Celsissimus

ANDREAS LIPSKI Pontificio *Luceoriæ* & *Cancellario* Regni Annulo, non huic tantùm Arctoo Orbi, etiam Vaſtis Europæ Imperijs ſubſignaverat. Equidem virtutis propriæ activitate divina, citra baſilicum ſangvinis Purpurati ſuffragium, grandis Legum Regni Stator, Pontificio fulciri Scipione merebaris, Miniſter Statûs ſine exemplo, pro corona meritorum, Præſuleam jure vendicabas Mitram, novus Throni Sarmatici Gallicanus, illâ trabeatæ facundiæ vi, quâ catenatos Regum favores, Gentium amores attraxiſti Tibi haud invitos, honorarijs debueras innecti Torquibus. Quidni eliquatos pro Patria ſudores, Epiſcopalis gravaretur excipere Vitta? quidni Apotheoſim emeritum pectus, ardenti pro cœlo & Religione plenum Zelo, Pontifi-

tificiâ ſignari Cruce differret? quidni, nobiliſſimæ totà Poloniâ Ceræ, unàq; *Cancellaria* Regni *Gemma*, abſq; Sacro proſtaret annulo? ſuccenſuimus enimvero lentè properantibus aſtris, quod meritiſſimos lacertos, non celeriùs Antiſtite ornaſſent Togâ, illudq; Præſulatûs Tui paſſim inceſſit deſiderium, quererentur ut omnes, Imperium Tibi ſerò dari. Poſtquam vero accline populorum expectationi Numen, æſtimando vertici, communi ſuſpiratam Voto dedit Infulam, inter œcumenica Septemtrionis Lechici tripudia, noſtri ſollicitudo eſt Cillenij, applaudenti feſtivitati hodiernæ Orbi, Panegyricæ miniſterio pennæ exhibere, quòd Te PRÆSUL JLLUSTRISSIME ad Purpuram hanc candidatum, hinc Auguſti Gentis *Grabitarum* Pro-

ceres, profuſis abundè in arena cruoribus tranſcripsêre, hinc Grandes LIPSCIORUM Animæ, exercitis in Curia Faſcibus memorabiles, Alti Sangvinis inſinuavêre ſuffragio; principem nihilominùs adjecit calculum tot meritorum cumulata decoribus virtus, quæ una ſine adſcititijs veterrimæ ſemperq; JLLUSTRISSIMÆ DOMUS fulgoribus, ad plenum Te Titulorum meridiem ſufficeret elevare.

Damus tamen literariam Apothèóſim Divis Aboriginibus, & quorum glorioſi Manes, tranquillo jam Elyſij ſitu, mortalium viciſſitudinem ab alto rident, illorũ venerandos cineres, encomiaſticis eventilamus pennis, unde Tuæ immortalitatem gloriæ metiamur. Altrix bellorum Bellatorumq; Virorum Ruſſia, in Palatinà-

tinatu *Betzensi* Inclitissimæ Stirpi Vestræ, *in medijs cunabula præbuit hastis*, atq; ita cataphracto Enyûs ablactatam ubere, *inter laurigeros aluerunt castra triumphos*. Ubi namq; fatis requirentibus, Cœlo redditus *Premislaus*, Thronum Sarmaticum *Venceslao* Bohemo occupandum reliquit, ut vastæ adeo Monarchiæ, Is ex commodo & dignitate præesset, expertus domi, pace Catones & Pompilios, bello Fabios, Scipiadas, Gallisq; genus fatale Camillos, Jllustrissimos *Rastellinos*, eosdem lateri adstites, cordi intimos, regimini pædagogos adlegit secumq; solum vertere jussit non invitos. Hæsit attonita prodigioso comitatu Polonia, ubi imminentem solio *Venceslaum*, Joves, Consi, Apollines, unâ, Hectores, Annibales, Gradivi, parte ab altera, appara-

Jllustrissimi Lipscij ex Bohemia cum Venceslao Rege venerunt in Poloniam & in Palatinatu Betzensi alij, alij in Majori Polonia consederunt.

tu inſigni, ſplendore Auguſto, ſtipavêre LIPSCIORUM Aborigines & primo credidit eſſe Numinibus curæ, Sceptra Gentis, poſtquàm aſſiſtentes Majeſtate poſitâ, Inaugurationi Regiæ Deos, cominus flexis poplitibus adoravit. Hi porro veneratione facili, pietate ſincerâ, candore aperto capti, colonias illâ Regione ſuas poſuêre, quæ à Polo Nomen & Originem mutuatur. Atq; tum Divinam magnitudinem ſuam abundè probavêre, ubi alij velut Numina Tutelaria, in perpetua adverſus Crucis hoſtes ſtatione (conterminam furori Biſthonio intelligo Roxolaniam,) fixêre incolatum, alij ut ſe Herculeâ fortitudine VandalicoLeoni opponerent, in domicilium magnæ Indoli, *Majorem Poloniam* elegerunt. Deſinat ſvetam Orbis Latinus jactantiam, cui hoſpi-

hoſpitantes cum Ænea Teucri, duraturi pre ætates Imperii, baſilica iecêre fundamenta; hæc non commentorum ſomnia, aut amplificatrix veri vetuſtas, ſed concors per literarum monumenta, antecedentium ſæculorum recordatio, vocalius divulgat, quod ubi in Lechico pedem fixêre Dominio, Purpurati *Raſtellinorum* Proceres, ſuas Orthodoxa Religio Baſes, ſuas Avita Libertas Columnas, Maieſtas Fulcra Adamantina, adverſus Fatorum molimina habuêre. Præliares adoreas, & ſerta victricia, quibus ferreâ tempeſtate coronârunt Patriam, ſi ad numerum vocaverimus, erubeſcere cogetur ſuorum ignaviam Bellatorum Antiquitas, quod namq; Latio triumphales Deciorum Animæ, quod Scipiones gemini de ſubactarum vocabulis gentium a-

C doran-

dorandi, quod Æmoniis Perſeus, Argivis Milciades, Thebanis Epaminondas, inter erecta ſuperbo faſtu trophæa memorentur, conatûs labor eſt Panegyrici; quod vero inter aſſertas, ab Oriente exuvias, truncatas ab Aquilone laureas, Aſiaticos, Geticos, Roſſiacos, Gothicos, Domitores LIPSCIOS, immortalibus fama publica inſeruit faſtis, non blandimenta encomiorum ſunt, aſt luculenta dexteritatis heroicæ teſtimonia. Vix namq; emerita aliquando ſuſpenderunt arma, protinùs armati inſtabant hoſtibus, vix Illos Odryſia Lari Patrio caſtra reddiderant, illico Septemtrionalia avocabant tentoria, atq; ita ducto ſuper Tyra & Boriſthene triumpho, incunctanter victrices Aquilas, ad Balthidem transferebant. Quoties porro thaumaturgi victores

vio-

violento barbarici cruoris profluvio, Iſtrum & Tanaim purpurarunt, quoties per calcatas niſu heroico mortes, ipſa ultro provocavêre diſcrimina, ſi digno celebrare elogio intendat penna, paludata Tullij, florida Hortenſij, divina Demoſthenis, blanda Neſtoris facundia, non unam ſub gravitate objecti ſudabit Olympiadem. Audire non ſemel fuerat querulos Martis barbarici luctus, tali àéra implentis ſono: hem Numen Olenium! cujus unius fortitudine, Tonantis Cœlitumq́; Majeſtas defenſa ſtetit, cujus ſtrenuitatis monumentum perenne; Phlegræa tabo manans arena exhibet, cui Hæmus, & Rhodope, ipſeq́; Gentium terror Quirinus, aras erigit, acerras cremat, anathemata dicat, impunè contemni ſuſtineo! Indoluêre grandi gemi-

tu, quoties æmula Polonis auſi tentoria figere, LIPSCIANO jugulati ferro, jamq; animam agentes Odryſij: exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor, atq; confertas hodie Duce LIPSCIANA Fortitudine, Sarmatarum adoreas, malè ominosâ olim repende taxo; cum interea ſervatæ Aræ, defenſi Cives, propugnata Innocentia, reddita ſitientibus Juſtitia, præter triumphalia ſerta, & Civicas, vindices, & ſervatores Joves, univerſali applauſu proclamarent LIPSCIOS.

Liceat porro ponderoſa ſerie meritorum Nomina, ex leviore Tuſculani folio promulgare, & ſole clarius advertemus, quam Fata orbi ruinam intulerant, ubi Scipiones, Metellos, Milciades, Coclites, vocârunt ad tumulum, in Polonia cum fœnore per Glorioſiſſi-

ſiſſimos Aborigines Veſtros, antecedentibus ætatibus reparatam. Certe Gratiarum compendium JOANNES Hæres in *Rzeplin*, & SVENTOSLAUS Succamerarius *Belzenſis* LIPSCII, Lechiæ duo ſidera, *Fratres*, æquali laudum partitione, emolumentis Patriæ laborârunt, atq; Mercurius & Gradivus Olympo. Unius ſi limpidos facundiæ torrentes audiſſes, Oceanum Eloquentiæ, planos Sarmatiæ campos irrigantem crederes; alterius ſi cataphractum robur, ſi clypeum, galeamq; minacem exploraſſes, poſitâ aſſentatione diceres: *hic eſt felix Bellator ubiq;, Defenſor Lybiæ, Rheni Pacator & Iſtri.* Claudian. Caſtorem Pollucemq; haud abſonâ appellatione nuncupaverim, niſi utrumq; immortalem probarent hinc Pacis oleæ, hinc Martis Laureæ, hinc

 ſerta

ſerta Themidis, tot interlapſu ſæculorum incorrupta, adeoq; vigore integro vernantia. Viri priſco candore præditiſſimi, planeq; Innocentes, ferreas ætates, aureis permutârunt luſtris, poſtquam inhabitare Poloniam fecerunt Numina, enim, Illorum ævo, Aſtræa Tribunalium, Palæſtrarum Apollo, caſtrorum Mavors, inquilinos egêre & Præſides. Quodſi vetuſta Deorum Nomina Cælum, Saturnumq;comminiſci non properaſſet Antiquitas, illorum honores, Virtutum indicio, Annalium teſtimonio,occupaſſent,LIPSCII, nî fabuloſas Apotheoſes dedignati, ſatius ad æviternitatem famæ credidiſſent; divina agere, quam falsâ Divinitatis opinione per oras & ora hominum circumferri.

Primam emeritæ laudis adoream vendicat, qui totus dum vixit;

Uni-

Universale Elogium fuit, *Celsissimus* ANDREAS LIPSKI *Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ,* necnon Supremus Regni *Cancellarius,* Regis Ephæstio. Huius, Minerva caput, frontem clementia, vultum Charites, oculos lenitas, pectus Justitia, manum munificentia, olim velut basilicam insederunt coloniam. Vix trabeatæ gremium Lucinæ impleverat, illico lactandum Gratiæ, educandum susceperunt Musæ. Nec desiderabatur Sarmatico Apollini suus Jupiter, à quo divinam mentem, sua Latona, à qua cum Patritio sangvine, candorem & innocẽtiam derivaret. Publico celebrata applausu Sapientia ne privata ageret, vocatur in Regiam; videlicet *Sigismundus III.* dignam Musis Indolem LIPSCII arbitratus, eidem arcana mentis Regiæ concredidit.

Factus Secretari9 Regni LegationēGermanicam absolvit gloriosissimè.

Atq; ita Jagellonico *Manipulo*, Avitum Rastrum, ubi *Grabita* is admoverat, obsequiorum sterilitas timeri non debuit, ab exculto adeo operario. Nec diu intra Lechici Augustalis penetralia latendum erat, magno Europæ Magistro. Nondum se namq; numemeris omnibus absolutum credidit sapientiæ ectypon, nisi orbe teste & judice probaretur. Ergo in charactere *Legati* Magni, ad *Mathiam* Cæsarem, atq; Comitia Imperij destinatur *Ratisbonam*, ut Augusto Septemvirorum suffragio, Occidentalis Majestatis assensu, Sarmaticus diceretur Mercurius. Exercuit Tribunal de LIPSCIO Imperiale Comitium, nec tam judicio sensum suum absolvit, quam elogio. Pro optimè gesta provincia, dedit reduci ab Germania, lauream *Sigismundus*, dum *Luceo-*

rien-

rienſem Inſulam. Is vero conformiter ad effatum Politici: *Accepti beneficij æternum meminiſſe decet,* ut perennem Regali munificentiæ rependeret gratitudinem, cedroq; auroq; ſculpenda *Sigiſmundi* claregeſta, inter monumenta faſtorum, memori pennâ conſignavit. Non jactet jam ſuum Achilles Homerum, ſileat Trajanus Plinium, Pellæus Curtium, Venuſinum Auguſtus, ubi illorum gloriam, jam argumenti magnitudine, jam majeſtate ſtyli, trabeatus Panegyriſtes LIPSCIUS ſuperavit. Plaude felicitati Tuæ, bellicoſiſſime Sarmatarum Monarcha *Sigiſmunde,* quod laudatorem ex merito facundum nactus ſis, cujus eruditæ debes ſepiæ, quod lectæ ex Oſmano ad *Chocimum* Verbenæ, triumphati ad *Smolenſcum* Aquilonis adoreæ, recenti flore & vigore,

Monumẽtis ingenij clariſſim'.

Nomen Tuum, posteris legendum ætatibus repræsentent. Alias *nil est cruento scribere posthumam mucrone famam, nil Geticis juvat impressus in campis character, si calamus sileat futuros loquax in annos*. Adeoq; marcent Bellatorum serta, si Tullianis non irrigantur laticibus, vix connituntur ad solem gloriæ, præliares Aquilæ, nî pennis Academicis subleventur, exilis est, vasta quamvis Heroum fama, si intra ambitus non includatur Demosthenicos. Neq; uno in Rempublicam Literariam merito insignis LIPSCIUS, inter clarissima ingenii monumenta, *Quæstionum Decadem*, & *Juris* Civilis *Centurias* reliquit, atq; extorrem terris Astræam, post tot sæcula, felici conatu revocavit. Hunc in Virum si priora Tempora incidissent, desinerent suum Athenienses celebra-

re

re Draconem, Lacedemonij divinis attollere honoribus Lycurgum, Solonem & Ariſtidem, auro taſtis inſcribere Argivi, illorum nāq; Aras & Apotheoſes, juſtitiæ cultor, Legum Dictator, verior antonomaſtica compellatione Areopagita occupaſſet. Quodſi ingentis decus meriti laudator ſilebit calamus, vocalia Curiæ ſaxa, quæ hactenùs ad LIPSCIANI præſcriptum codicis, cauſarum momenta librat, immortale Sarmatici legiſlatoris Nomen celebrabunt. Non temero Sacram Virtutum Majeſtatem profano encomio, quæ in niveo Innocentiſſimi Antiſtitis pectore, quaſi in Auguſto quodam Pantheo habitarunt. Oderat vanum quorundam oſtentatorem faſtum, quibus ſi momentum obſequio Numinis impenditur, ſæcula exiſti-

mant ; ſi guttam ſudoris Spiritualibus feſſi negotijs eliquant , gemmas æſtimando non ſuffecturas credunt; ſi Pontificiis contingat premi laboribus, Olympum lacertis incubare opinantur , ſi decuſſim in templorum ornatus expendant, talenta Darij, in ſubductis demonſtrant rationibus. Illius in Deum liberalitas , calculos Arithmeticæ excedit, quia immenſa eſt. *Collegiatam Chocenſem* Eccleſiam, in eam liberali dexterâ evexit majeſtatem , ut ſplendore & opulentia, Cathedris certare auſit. Ut non recenſeam *Vladiſlaviæ & Chocij* Seraphicam *Franciſci* paupertatem, ab illo ultra Arſacidarum gazas, baſilicè dotatam & ditatam. Sufficiat compendio dicere, quod hujus Aula Præſulis, publicum fuerit calamitoſorum receptaculum, perenne charitatis domi-

domicilium, adeoq; nullus fuit Ordo Pauperum, cui non egerit Patrem, nulla Religiosa Ædes, cui non suppleverit Protectorem. Restauravit collabentium passim templorum ruinas, erexit sacraria, dotavit aras, atq; ita Divorum qui Patroni colebantur à populis, ipse Patronum egit. Et ne Sacra tantum in eo esset liberalitas, effecit publicam, ubi ad Tauricam & Mæotydem, atq; sub ipsa Byzantina mœnia exporrexit, dato notabili auro, quod ferream captivorum servitutem redimeret. Et quia Virtutum indivisibile quoddam consortium est, non unã in eo spectator notavit orbis, cujus princeps, animus omniũ capax fuerat. Pietate illa præluxit Sarmatiæ, qualẽ Mediolano Carol⁹, Galliæ Salesius explicaverant. Ne ab amussi vitæ illorum discederet,

F ean-

eandem quam illi normam tenuit perpetuo. SacerZelus ille, quo Jura Ecclesiæ fortissimè tuebatur, calrior est, quam ut umbratili stylo illustretur, cujus immortalis gloria, hactenùs Aventinis collibus celebratur. Admiserat volente *Sigismundo III.* jubente *Urbano VIII.* post recusatum pertinaci modestia, vacantem à fatis *Henrici Firley* Metropolitanum Tyaram Cracovienses Infulas, primaq; post ingressum in Diœcesim sollicitudo eius fuerat, ut omnes sui similes, id est optimos, efficeret. Cum vero negata corporum replicatione ubiq; adesse nequiret, ut tamen integrâ loquentem Præsulem suum auscultaret *Minor Polonia*, Epistolam Pastoralem quoddam velut Sacræ doctrinæ compendium, Codicẽ Evangelico super fundamento conscriptum, perfectam

san-

ſanctioris Vitæ Ideam evulgavit. Legere hic fuerat, cœlo datam vivendi rationem, ſeu divinā quandam ad mores informandos Iſagogen. Quibus porro prudentum omnium ſtudiis accepta eſt! quo plauſu celebrata! Ita lingvâ & calamo, verbo & ſtylo facundum Antiſtitem mirata Polonia, hunc in modum, inquit ſcriberet Iſocrates, ſi eſſet Catholicus, ita Demoſthenes, ſi foret Chriſtianus. Dicebant alii: Antiſtes hic roſas Hortenſii, Hymettum Platonis, favos Ambroſii, ſvavitatem Bernardi, aurum Chryſoſtomi loquitur. Quæ demum prodigioſa Pontificii characteris in tabulis animorum impreſſio, quæ modeſtiæ, pudoris, pietatis, Ideas expreſſit, quam efficax! quæ de malis bonos de reprobis virtuoſos effecit. Quid memorem luſtratam in fervore Apo-

ſtolico Diœceſim, obibat Urbes & oppida, vicos & mapalia, idq́; ad oblivionem uſq́; ſui, ut gregi proſpiceret Paſtor, filijs conſuleret Pater, ſubditis opitularetur Princeps, omnib⁹ compendioſum ad ſuperna callẽ monſtraret Dux. Ipſam felicitatem ijs in Penatibus hoſpitari crediderat vulgus, quib⁹ Auguſtum intulerat pedem. Si fabularum commentis fides aliqua conſtaret, taliter Saturnum climata orbis obambulaſſe, pariaq́; adventûs ſui reliquiſſe veſtigia putaremus. Inſtituit ubiqué ſerium in vitia examen, ſed innocentiſſimi Præſulis nec vultum ferre poterant, adeoq́; ſuas protinus colonias, ad famam properantis deſerebant. Quem vero præterijt locum, ubi pietatis, exempli, munificentiæ, luculenta non reliquerit teſtimonia? Acceſſit illum publi-

bli-

blica Ecclesiarum calamitas, & sublevari meruit, accessit privata, & imminuta est; nulla fuit alicuius fortuna beata, quam beatiorem non fecerit, nulla ruina, quam validiore lacerto non erexerit. Invidebant tantam *Cracio* orbi felicitatem vicinæ Provinciæ, & si liceret, authorem felicitatis invidissent. Sed ubi superimpendi usibus Ecclesiæ & Patriæ desiderat, publicâ comitiorum securitate fretum, ex insidiis aggreditur Clotho. Indoluêre fato Principis Rex, Senatus, Equester Ordo, quove dolor maior, & copiosiores forent lachrymæ, tota fermè Polonia, ad centuriata præsens Comitia ereptum Præsulem, luctu inconsolabili prosecuta. Atq; ita interpres mentis Regiæ, Vox Regum & Libertatis, memorabilis per ætates Archigrammateus Regni

Mortuus Varsaviæ sub tempus Comitiorum An: 1651.

G ætet-

æternum ſiluit; niſi vocalem hactenus, ingenij monumenta, diſertum fama, ſuperſtitem grandes meritorum cumuli, immortalem ſapientia, & probitas evincerent.

Nectat Serta Themis, ubi palmare in Curia nomen SAMUELIS LIPSKI, *Judicis Terreſtris Bełzenſis* & Supremi *Tribunalis* Regni *Mareſchalci* elogiaris penna notat. Martios ejus in Sago labores ſi tacit⁹ prætereat calamus? loquetur centum lituis fama, loquentur triſti ſonitu alliſæ ſolo urbes, & cervices barbarorum. Signa triumphato quoties flexiſſet ab Jſtro, Arctoâ de ſtrage calens; reducem à Pharſalica clade Cæſarem, vel Actiaco formoſum pulvere Auguſtum crederes. Prima tamen laudum tributa *Mareſchalcali* emeruit Scipione, quem dum

dum heroica prehendit manu, integritatem legum, ſecuritatem civium, pænas Sontium firmavit. Sub *Tribunalitiis* illius faſcibus, protectionis umbram habuit Jnnocentia, calentem toto Veſuvio zelum, ſenſit iniquitas. Si antecedaneo ævo mos ille viguiſſet, quo incorruptis Judicibus ſtatuæ ponerentur, legeremus in aureis columnis, amorem, Juſtitiæ, in marmoreis, Baſim legum, in argenteis, pretium æquitatis LIPSCIUM. Primus hic ut titulos augeret Succeſſorum, ampliſſimas erexit hæreditates, Regna & Provincias fundare poterat. Hunc certè ſi arbitrum elegiſſet Quirinus, feliciùs Monarchiæ ſuæ jeciſſet fundamentum; ille ſi Lecho coævus vixiſſet, vaſtos Sarmatici Imperij limites, non Carpathijs terminaſſet montibus, ſed ultra

Oppidi Lipſko & Villæ Lipie in Palatinatu Beľzen Conditor.

G2 Hæ-

Hæmum Meròénq; protendiſſet.

Habebit vel in pagina honores Panegyricos, qui dum vixit, Præſuleas, imitando paradigmate, declinaverat dignitates STANISLAUS LIPSKI Metropolitanus *Gneſnenſis*, & Collegiatæ *Chocenſis Præpoſitus*, multoties *Tribunalis* Regni *Præſidens* Meritiſſimus. Publicam toti feſtivitatem Poloniæ, non uſitatis aperuit ritibus, quoties Themidis Antiſtes declaratus, templum Juſtitiæ reſeraverat. Aras porrò inibi ſpectare fuerat, pietate inſigni, cultu erectas præſtantiſſimo, in quibus ſolenniſſima virtutibus ejus exhiberetur veneratio. Poſuit memorando vindicata zelo Jnnocentia, tabellam votivam, cui legendos per ſæcula inaravit characteres, unde novus Sarmatiæ Ari-

Ariſtides LIPSCIVS noſceretur; appendit hinc anathema perenne, ſtare & valere meliùs, per STANISLAUM juſſa calamitas, hinc Orthodoxi Numæ imaginem, geminis pietatis & candoris delineatam coloribus, ad æcumenicam expoſuit reverentiam, non ſemel Judiciario in curia calamo, ſibi per eum reſtituta Religio. Videlicet *Præſidentiales* in manu illa glorioſiſſima faſces, ita in florem publicæ vernârunt felicitatis, ut ſimul virgam ſibi vigilantem metueret iniquitas. Ita namq; *Tribunalitio* attollebatur ſubſellio, ut elevata deprimeret piacula, ita gladium vibrabat Juſtitiæ, ut feralem deſignaret ictum ſceleri, tutelam præſentem æquitati. Nunquam à Supremo hoc Legum Sarmatiæ Arbitro, miſerorum negotia, ſine comite redierunt felicitate,

advetere fuerat producta in feras noctes judicia, ut præstolantibus accelararet solatia, notare profusos ubertim sudores, ut Justitiam sitientium refocillaret desideria.

Non vocamus ad numerum, in præliari arena, metuendos hostibus, in Libertatis Sacrario, venerandos Quiritibus LIPSCIOS, ADAMUM Vexilliferum Belzensem, JOANNEM *Tarnogorensem*, ANDREAM *Bogucinensem* Capitaneos, ANDREAM Pocillatorem *Belzensem*, PETRUM Dapiferum *Calissiensem*, *Procopium Notarium* Terrestrem, & *Surrogatorem Calissiensem*, quos sine discrimine, amore in Patriam Scævolas, fortitudine Scipiones, constantiâ Cynegiros, morum innocentiâ Catones, prior mirata est, sequens mirabitur ætas. Unus universæ laudis compendium

dium laudandorum amuſſis & Jdea, JOANNES LIPSKI, *Iudex* Terreſtris *Caliſſienſis*, Tuus *Illuſtriſſime Antiſtes Avus*, & Pater Patriæ, meritorum immenſitate, omne abſorbet elogium. Ne una tantum ad prodigium culta Juſtitia, Numinibus illum accenſeat, liceat ad victricia Martis Poloni caſtra digredi, ut inde etiam ad Jlluſtriſſimi apotheoſim Nominis, congruum heroicitatis apparatum deſumamus. Vindicem Punicæ Annibalem gloriæ, ſi pingere vetuſtas vellet, ad illius ſe reflecteret imaginem, ſi Marathonias inter laureas, triumphantem exhibere Milciadem, illius lineamenta attenderet frontis, genuinè adeo Bellatorum & Triumphatorum ideam exprimebat. Jgnes illi, quos bellatore elicuit gladio, ſoles quos retro numeravit Polonia, illuſtrâ-

H2 runt

runt. Jamq; loricâ onuſtos Sarmatici Flaminij humeros, Senatoriæ prenſabant ornare Dibaphæ, ſub onere incubantis juſtitiæ zodiaci, Atlas hic ne vacillaret, Ebur Palatinum voluit grata providere Patria , jam è curia Themidis, trabeatorum conclave Patrum, triumphali propè premebat veſtigio, cum invida Sarmaticæ felicitati Parca, ejuſdem Statorem invictum, buſtuario oppreſſit marmore. Gemuêre ereptum terris, illatum cœlis, orbati Patre orphani , viduatæ Protectore Aræ , ploravit Aſtræa vindicem, Bellona Hectorem , Religio Tutanum, atq; perennia lamenta forent, ni violentam hanc luctuum publicorum tempeſtatem, auſpicato gloriæ exortu,ſuperſtes Patri filius ſerenâſſet.

Is eſt VENCESLAUS LIPSKI

Illu-

Illuſtriſſimus GENITOR Tuus, cui naſcenti Charites & majora Numina obſtetricari viſa, ut novo conſortio, hinc majeſtatem, amorem inde, amabili ſed timendo ſpiraret vultu. Necdùm benè prætextam poſuerat, jam clypeum & caſſidem anhelabat, ut vel ex prima diluculantis vitæ ipſius aurora, triumphalium meridiem ignium præſagire, pronum fuerit. Noſcent ventura tempora, quos hoſtes fregerit, quæ pericula adierit, quot Trophæa erexerit, cujus incomparabilis ad bellum animus, animos ad dicendum ſupplet Arpinati, ſed ferro ſtylum, manu ingenium vincit. Si latiori paralogiſmo explicare vellem, actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, dies noctesq; præliando aut vigilando conſumptas; Si recitarem quam delicioſum heroi-

co animo fuerit, omnium caſtrenſium munerum obire numeros, quam volupe ſtare pro ſignis, excubias agere, vallum ferre, locum bello antecapere, ſpeculatum egredi, caſtra metari, militem exemplo, ducem conſilio agere; Si trophæa & corymbos ſubducerem, certarent utroq; pares à cardine laurus. Jta Martiales coquentem æſtus, ad thedas maritales vocavit Hymen, traditâ in vitæ Sociam BARBARA MIASKOWSKA Illuſtriſſimo Sanguine prognata Heroide, in qua

- - - *Quidquid venerabilis olim*
Livia, Druſorũq; nur⁹ geſsêre pudicæ,

vivis expreſſum coloribus advertit Polonia. Intulit nempe LIPSCIANAM in Domum, ſplendorem Patritium, animum Heroicum, virtutem divinam prope. Neque nobilior corona, Regia VEN-

CESLAI

CESLAI desideria coronare unquã potuit, cujus si eminentiam scruteris, dives Avis, utroq; Iovem de Sanguine duxit.

Hæc porrò trabeata Latona, Tibi Sarmatico Apollini, pietatem lacteam, innocentiam candidam, pudorem roseum instillavit. Postquam verò adolevisti Musis, scholastica decurrere cœpisti Olympia, ut Olympo integro noctes Atticas serenâsses. Invidit Polonus Orbis, privatæ Lycæorum felicitati, cum Te magnam Europæ historiam formarent olim, etsi nullâ scholastica regula, illud egere crederetur ingenium, quod compendium sapientiæ appellarem, nisi se totam in illo explicasset, vocarem discipulum, nisi ubiq; artem sapiendi docuisset. Æcastor ingemuit Lacidium, Stagyra, Cynosarges, quod non il-

lis erudiendus contigiſſes, in quo ſingulæ Scientiæ ſe corrigunt, quia Te invenerunt Magiſtrum. Prodigii antea vim obtinebat, omnem ſapientiæ vaſtitatem ,uno contineri poſſe ingenio, modò ſæcula mirari deſinent, ubi apud Te omnis antiqua eruditio habitat, & adhuc capax novæ locus eſt. Tantus jam eras, cum literarium acceſſiſti ludum, ut præſens ſæculum erudire, futuris ætatibus proponere poſſes, unde ſaperent, cum Regnorum Archididaſcalus eſſe poſſes, diſcipulum agere voluiſti. Poſtquàm verò diaphanam adeo eruditionis lucem ſpargere cœpiſti, cui anguſtum eſſet cœlum Patrium, indulſit Te Solibus exoticis, Polonia ſed tellurem Phœbi radiis theſauros ſuos oſtentantem imitata, non ſine laceratione viſcerum. Ibas comitan-

mitantibus votis, quo Te prodroma deducebat fama, Tuisq; calcatum vestigijs iter, jam Appiam triumphalem, jam festivis collucentem ignibus Flaminiam, vulgus credidit. Applausit grato murmure, in Alemannico littore hospitanti, Rhenus & Scaldis, certavit paribus in venientem officiis, Rhodanus Ligerisq; jam verò Hesperidum Tiberis regnator aquarum, tranquillis fluctibus, & tempestate jucunda sub Astra usq; levabatur, quo grandem exuberantis lætitiæ inundationem, Tuo ex adventu palam faceret. Implevisti laudum amplitudine Romam, ut Tibi nativos colles & fasces submittere debuerit, triumphumq; illic adornâsti, illâ potitus laureâ, quæ non Cæsarem ornavit quondam, sed quæ in eruditorum cæsarie evirescit. Ex

ipſo demum vultûs Tui exortu, coniecit Latium, quantum Occidentalis Eccleſiæ Lumen futurus eras, quem, ab Aquinate ſolem pectori illapſum, ab Ambroſio mella in linguam, ab Auguſtino fulmen in calamum, à Chryſoſtomo auream dicendi venam derivaſſe, citra fucum adnotavit. Peragrâſti paſſu heroico, potiores Europæ oras, neq́, ideo, ut regionum ſitus, amnium fontes, Populorum mores, urbium ædes, curioſo luſtrares oculo, cuius ingens animus intra ſe urbes, Provincias, & Regna gerit, ſed inſtar ſolis, monſtra Zodiaci, in Aſtra transformantis, ut ipſemet omnis exemplata imago probitatis, ad normam Tui orbẽ componeres. Interea commodatum exteris repetiit Lechia, quæ ſine Te, diu felix eſſe non potuit, atq́; ita inſtar reducis à Colchide

Jaſo-

Jaſonis, pluſquam aureo vellere, omnigenis Virtutis & Sapientiæ cumulatus decoribus, vix Sarmatico conſtitiſti confinio, certavit hinc honor Regni, hinc favor ſolii, hinc civium veneratio, quo dignis venientem officiis coluiſſent Metropolitana tamen *Gneſnenſis* Eccleſia prima omnium ſuum venerata *Primicerium*, Primas Regni Celſiſſimus STANISLAUS SZEMBEK, Auguſtam indolem Tuam, quæ velut Apis Attica, cõverſationem Hyblæam, facundiam floridam præferebat, Patritijs admovit *Roſis*. Et talis in aula illa, veriùs publico virtutis Athenæo evaſiſti, ut diſertior aliàs Mercurius, ſilentioſum agere debeat Tacitum, ubi tot inſignem dotibus advertit. Repentinæ cauſam taciturnitatis longiùs ne ſcrutêre, ipſa Tuæ majeſtas fron-

tis , copioſiore inſtructos facundiâ Tullios, ad inopinam verborum cogit defectionem. Nempe ſæcula neceſſe conſpirare, ut emeritam Tibi contexant panegyrim, cujus ſacro in vertice, ſapientia illa, quam exotici etiam ſuſpiciunt ſoles, vultum illa ambivit gravitas, quæ Numina addeceat; pectus ille occupavit candor, qui niſi in Te, crederetur impoſſibilis. Procedis ſanctior ad aras Myſtes; totus ſpiras Numina, ſuggeſtum imples! habent ſuum vitia Periclem, virtutes Lactantium. Zelum pro DEO & Eccleſia ſacerrimum, pro Legum & Libertatis tutela invictum, ut recenſeam, irritus labor eſt, quia pridem faſtis immortalitatis conſignatum. Dicam ſemel, recenſet Grandes Hiſpania, Pares habet Gallia, non habet erudita Indoles Tua, digna profecto

Au-

Augusti ævo, digna Amphitheatris Latii, digna porticu Athenarum. Divinior namq; Minerva, ut semel Panomphæi Jovis reliquit cerebrum, ita perpetuam Tuo in vertice fixisse creditur coloniam. Talem, basilicum Regni Numen, lacertosus Cœli Patrij Atlas, grande prorsùs Deorum munus, *Celsissimus* THEODORUS POTOCKI, *Primas Regni*, in suum Te elegit *Cancellarium*, qui ubi Archi-Præsuleæ arcana mentis explicares gentibus, simul publicam solatiorum indulgentiam, Septemtrioni Lechico promulgares. Quid memorem sacrum Polonæ Themidos Areopagum, ubi tantâ integritate, tam incorrupto candore, tam memorabili zelo, egisti *Præsidentem*, ut tota in plausum effusa Respublica, publico Comitiorum assensu, voto Solij, decumani in Justitiam meriti

L pre-

pretium, *Procancellariâ Gemmâ* æſtimaverit. Dicam ad gloriæ Tuæ prodigium, quod Sereniſſimo AUGUSTO II. Orthodoxo Chriſtianitatis Statori, eousq; placueris; ut Te Majeſtatis ſuæ Brachium, mentis Regiæ Interpretem, vaſti ad curas Jmperii, Vicarium elegerit. Si namq; Domitori orbis, Triumphatori Regum placuiſſes Alexandro, exilis hæc laus Tua foret, minorq; ſequentium ætatum æſtimatio; enimverò ille ſuo quoq; dignos ferro, olim amavit Clytos. At quia Regalibus AUGUSTI II. cumularis favoribus, qui nihil excelſo probat judicio, niſi quod immortalitatẽ mereatur, hoc LIPSCIANI Nominis fama vendicat, hoc omnium miracula excedit ſæculorum, Tuaq; nonniſi adæquat claregeſta. Jam verò in ampliſſimo Regni Miniſterio eminens, quam demiſſio-

ne

ne facili, quam aperto candore agas, memorari à nobis nolumus, quod celebrant ſinguli, quod linguæ omnium, ſupra ſoles & ſidera attollunt. Si tamen exilia minorum Poëtarum carmina, magnus olim admiſit Macedo, ſi ad Pataræas, & Delphicas Apollinis Aras, tenuiores volucrum pennas impunè adferre licuit, audebimus omnium ſcriptorum elogiis majora Tua decora, ſtyli officio, abſq; hyperbolicis coloribus adumbrare. Deteſtaris videlicet ANTISTES ILLUSTRISSIME, illa culmina, quæ, quo celſiora magis, eo denſiori terras offundunt caligine, Tu melior Poloniæ Titan, æquè cœlo maritas cedros, profuſis exſerenas favoribus, atq; in humiles myricas, gratioſos derivas radios. Præcelſam mentis Tuæ regiam non ſcrutamur; cor Tuum, publicũ

 omni-

omnium effecisti Templum, quod calamitosorum precibus, perinde ac felicium votis, apertum semper. Non recenseo comitatem nectaream, benevolentiam suavissimam, humanitatem divinam, facilitatem roseam, ad desideria populi explicatissimam. Palatinas ædes Tuas, sacrum quoddam Pantheon dixero, in quo, tot jam beatos cernimus, quibus, gratijs efficacibus, favoribus augustis, beneficijs infinitis, felicitatem perpetuas. Conferat tecum decus omne priscum, fama miratrix senioris ævi, & suavitatem dicendi, Hydaspe manantẽ suadam attendat; ædepol Cicerone secundo non opus est, ubi à Throno *Augusti*, amplissimis Regni Statibus, dulcem pacis fructũ, votivam publicæ tranquillitatis malaciam explicas. Nunquam certè meminit Majestas Lechica,

sese

ſeſe locutam digniùs, quam ore Tuo, nunquam Sarmaticæ facundiæ Echo, gratiùs in animos & corda exterorum illapſa, quam ubi *Roſis* Angliæ, *Liliis* Galliæ, Hortenſium & Neſtorem, ponderoſo & florido dicẽdi genere exhibes. Quod ſi ingentium negotiorum molem, cui unus, â reddito cœlis magno nuper Imperii hujus Atlante Illuſtriſſimo JOANNE SZEMBEK Supremo *Cancellario*, lacertoſum ſupples Alcidam; ſi moleſta jure litigantium certamina, ſi irrequietas in publicum ſollicitudines proferam, extenuabo juſtiſſimas laudes Tuas, cũ amplificare voluero, id ſine gravi cuiusvis Catonis ſupercilio dicam, quod olim emerito in *Signatorio munere* Anteceſſori Tuo *Zamoyſcio*, laudator exotici orbis adſcripſit calamus: ſciet Polonia, qualem habuerit Cãcellarium, ſimilem quando habitura ſit, neſciet

M

Fer-

Fertur ſublimi gloriæ curru ad Jnaugurationem hodiernam *Illuſtr:* olim SAMUEL LIPSKI, *Dapifer Kijoviæ, Rothmagiſter Loricatæ Cohortis,* heroum ſui ævi Prototypon, qui ad mille fati genera intrepidus, centuriata mortis temnens diſcrimina, Scythicos irruebat in cuneos, barbaricas turbaverat acies, ipſe magni agminis inſtar, Biſthonias repreſſit phalanges; quot triumphatore chalybe, colla demeſſuit hoſtium, numerum inire perarduum. Ipſe Sarmaticus Mavors, in erecto memoriæ Bellatoris ſtrenuiſſimi pone ripas Boriſthenis triumphali Coloſſo, talia viſus adnotâſſe Lemmata: Fingite præliari humeros ornatum Sago, ferreâ caput munitum caſſide, trilice pectus onuſtum loricâ Hectorem, emiſſarias Achivorum ſubmoventem turmas, date heroicæ in paradigma fortitudinis, quotquot

quot præliaribus calentes ignibus, faſtis rugoſa porrexit antiquitas, huc caput inſuperabile bello Æacidam, huc ſeptemplice laudatum clypeo Ajacem, huc Bellonæ cruentis ſagaciſſimum in negotiis heroem Dulichium, Doricæ recitate Ephemerides; Scævolas & Coclites, Fabios & Scipiones, in memoriam præſentium ſæculorum, Quirini revocate annales; ego omnem tam inſignium Bellatorum dexteritatē, cataphracto LIPSCII in pectore, quodam velut in amphitheatro minimè ambigam regnare auguſtiùs.

Armatæ laudes *Illuſtriſſimi* PROCOPII LIPSKI *Caſtellani Rogozinenſis* toto hactenùs Hæmo reſonant. Virum Sago natum ſuſpexit Lechia, Martem indomitum experta Taurica. Scythicas aliquando perpeſſus compedes, qui pro libertate Patriæ, vitæ diſpendium toleraſſet. Feli-

cem futurum Macedonem, si in hunc Parmenionem, imperium copiarum reclinasset, felicem Darium, si hic Zopyrus, pro fidelitatis symbolo, illi quondam obtigisset! Nunquam victorē Pænum, dolendo ad Cannas funere, Romanis parentasse Aquilis vulgasset fama, si LIPSCIANO spiritu, subsignanorum Æmilij erigeretur pusillanimitas, nunquam vastam Asiæ Monarchiam, vetere Persarum excussā dominatu, tributariam Bellatori futuram Æmonio, si in redintegratis tertio Arsacidarum copiis, hujus in arma fervor vividius exarsisset. Sed prodigiosæ PROCOPII fortitudinis, si specificam vellem exhibere demonstrationem, dies me relinqueret, antequam palmari coronatas successu illius expeditiones, encomiasticā oratione terminassē; ausim affirmare, si pares, Athletas, volucris

ucris Lechica, in arena Gradivi excubantes habeat, impunè, cū ingenti demùm Harpyarum Thraciæ livore, ſublimi feriet ſidera vertice, in æmulas vehementiùs fulminatura potentias.

Deſunt facundiæ vires, ubi in accreſcens Nomen *Illuſtriſſimi* JOSEPHI LIPSKI, *Regentis Cancellariæ Regni* incidit, cujus Encomia omni hyperbolicâ ſuperlatione altiora ſunt. Sive æſtus præliares recenſeam! cataphractum adora Flaminium, ſive ſacras Themidos ædes memorem, Lycurgus Sarmaticus eſt; ſive centuriata Regni Comitia revocem! Brutum dixero, qui Libertati vitam dedit & animā. Cum *Sieniavianis* primum *Sideribus*, cum *Czartoryſciano* demùm *Heroe* triumphos duxit cataphractus. Ubi victorioſum in hoſtes labarum prætulit *Vexillifer*, talibus ſubſigna-

N no-

norum animos, ad pugnám inflammâſſe obſervatus: agite nata bello pectora, ſacratæ Mavorti animæ, eâ in hoſtem fortitudine, quam comes ſequatur victoria, reproducite veterem Sarmatarum militiam, quæ tot ſubjugatis Poloniam ditavit Provincijs, quæ barbarum terruit Orientem, quæ abſciſſis Gelonorum è jugulis, juga Alpinos adæquantia vertices compoſuit, quæ cruore hoſtico purpuravit Tyram & Boriſthenem, Tanaim & Volgam, Jſtrum & Propontidem, quæ non Capitolinam duntaxat arcem, Romani oſtentamentum faſtûs, ſed orbem integrum, congeſtis ornare ſpolijs ſuffeciſſet. Induite viriles Macedonum animos, qui exiguum copiarum numerum, heroicâ abundè ſupplentes virtute, trepidati Aſiæ, formidati Europæ, metuendi Græciæ, victricia toto orbe circumtulêre ſigna, immenſos exercitus, non uno paratam ſæculo potentiam, deniq; collapſam hominum erecturos audaciam, Leones ac Elephantes, & quæ alia horrenda ferarum nomina, luſtris foventur Ægyptijs, adſtite ſemper debellavêre triumpho. Nequit tacitus præterire Arpinas, *illuſtres animas, & grande in nomen ituras* ANDREAM *Enſiferum Poſnanienſem*, & THOMAM *Dapiferum Premyſlienſem*, LIPSCIOS. In honorario illius *mucrone*, gladius relucet Alexandri, fulgore heroico, Lunas olim eccly-

pſa-

psaturus Othomanicas, in augustis hujus Titulis, maxima velut in adverso speculo resplendent subsellia. Legitur in utriusq; vultu, Avita LIPSCIANÆ gloriæ imago, legitur spes maxima, & fiducia publica Regni, & ex auroria dignitatis hodiernæ, facilè, est illustrissimum splendorum meridiem ambobus concludere. Occupabunt omnes honorum Appias, prima Senatûs fastigia, ingentibus adæquabunt meritis, Academico nunquàm dignè exarandi stylo, fastis sæculorum imminebunt. Non vocamus ad numerum singula LIPSCIORUM Individua, quorum alios, sanctiores Togæ, alios Terestres trabeæ, alios castrenses adoreæ, primis fovent candidatos muricibus, diffusæ per Orbem Lechicum illorum lucis, grandem prorsùs meriri umbram, propriæ non nisi sufficiunt palmæ. Non recensemus Xerxeo majorem exercitum, quem Purpurata Poloniæ Numina Tibi ANTISTES *Illustrissime*, nexu sanguinis fœderata componunt, MIASKOWSCII POTULICCII, GURZYNSCII, ŁĘTKOWSCII, GEMBICCII, KOZMINSCII, POTOCCII, PONINSCII, MYCIELSCII, PONIATOWSCII, CHŁAPOWSCII, NARAMOWSCII, SKORZEWSCII, KWILECCII, KONARSCII, DZIEDUSZYCCII,

CII, FREDRONES, GORAYSCII, STĘPKOWSCII, HERBURTI, UBYSZII, SZCZAWINSCII, SKARBECII, STADNICCII, RADECCII, HUMIECCII, WYBRANOWSCII, MATCZYNSCII, BORVCCII, BYKOWSCII, GRABSCII, SZYDŁOWSCII, BALOWIE, ZAPOLSCII, WĘZYKII, ZAKRZEWSCII, LINOWSCII, qui insigniori Te pompâ, & apparatu basilico magis, ad Luceorienses comitãtur Jnfulas, quàm Occidentis olim Augustos, subacti Reges, ad Capitolium duxêre triumphantes.

Prosequitur faventissimam Majestatis dignationem, festos Senatûs & Patriæ universæ applausus, non jam acclamationibus Panegyricis, quia Tua eloqui decora, nonnisi Tuæ suadæ opus est, qui Tibi ipsi Homerus & Jlias, Nestor & Panegyris, Phœbus & oraculum es; Sed votis & officijs Pallas nostra, ut primus hic ad Præsuleos honores passus, in eo sistat tramite, ubi terminale Insularum *non plus ultra*, Herculi Sarmatico Fortuna inscripserit; cousq; coronata Regni cum *Aquila*, in altum librare culminum, donec in originali illius nido constiteris, PRÆSVL Sarmaticæ Sidus Numenq; Coronæ.